

verendum Patrem. dominum Angelum Saracenum Melfictensem Episcopum. Ostendisse nobis quoddam publicum Instrumentum confectum per manus notarii Gregorii de Botonto continens sententiam latam. A Reverendo patre domino Leucio Botontino Episcopo. in questione quadam habita inter Religiosos viros. Abbatem et Conventum. Monasterii Montis sacri. et eundem dominum Melfictensem Episcopum. non Rasum non Cancellatum. nec in aliqua sui parte compositum. Carens omni vicio et suspicione. quod vidimus et legimus et erit continentie talis. In nomine domini Amen. Nos Leucius dei gratia, licet immeritus Episcopus Botontinus. ex presentis scripti serie universis notum facimus et testamur. quod a Reverendo patre domino Girardo dicta gratia venerabili sabinensi Episcopo. Apostolice Sedis Legato recepimus licteras in hac forma. Venerabili in christo patri dei gratia Episcopo Botontino. Gerardus Miseracione divina episcopus sabinensis apostolice sedis legatus salutem in domino. Exposuerint nobis Religiosi viri Abbas et Conventus Monasterii Montis Sacri ordinis santi Benedicti. quod venerabilis in christo pater dei gratia Episcopus Melfictensis. Asserens. quod ipse Ecclesiam santi Iacobi Melfictensis. diocesis que ad Monasterium ipsum pertinet pleno iure cum Iuribus et possessionibus suis. A Regia Curia ad quam ex certa causa pervenerat suptibus (*sic*) recuperaverat propriis. et eam ex certis pactis et condicionibus habitis inter ipsum et bone memorie Iohannem Abbatem et Conventum Monasterii supradicti possidet eam, pretextu huiusmodi detinet occupatam. in ipsius Monasterii preiudicium et gravamen. Cum itaque idem Episcopus promiserit coram nobis Ecclesiam et possessiones ipsas restituere prefato Monasterio postquam sibi fuerit de sumptibus huiusmodi satisfactis. Paternitati vestre presentium tenore Mandamus quatinus per diligentem Inquisicionem. facta computatione fructuum preceptorum de possessionibus ipsius Ecclesie. per memora-